QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Iovis decima sexta Ianuarii. 1678.

M JOANNE BAPTISTA RENATO MOREAU, primario Serenissimæ Delphinæ Medico, Præside.

An sua Ventriculo facultas?

I.

SANGUIS naturæ thesaurus, vitæ fons & delitiæ, quandiu vivit homo, tan diuit per arterias, redit que per venas ad conservandos vitæ lares. Hujus motu ac præsentiâ pars quæque recreatur, resarcitur que, hujus inopiâ languescit, defectu emoritur. Ut perpetuò movetur sic perenne patitur effluvium, dispendium que, tenuissima namque ejus pars vel per insensilem perspirationem difflatur, vel in spiritus functionum omnium opifices abit, dum crassior vel in alimoniam Impenditur, vel in sudores, urinam, & alia facescit excrementa: Spirituosæ partis jactura nobis insciis atque etiam vel invitis reficitur; crassioris non item: hæc solo alimentorum proventu; illa solo aeris commercio. Si plantis & Brutis quibusdam aër sufficit ad vitam, tenuioris tantum substantiæ detrimentum patiuntur; quibus verò solidior dissipatur, necesse est ut novo ciborum commeatu subinde reparetur.

II.

QANDIU vita emicat, tandiu perſeverat triplicis ſubſtantiæ jugis effluxus. Hunc ineluctabilem necis autorem arcet, provida quantum in ſe eſt natura, dum ciborum appetentiam omnl animantinm generi familiarem conciliat. Hæc oritur à ſucco acido in Ventriculum effuſo, cujus aculeis pungitur ubi vacuus eſt, unde ad quærenda alimenta excitatur animal. Sic ſtimulatus ad modum cæterorum animalium homo cibos ſubſtantiæ ſuæ familiares & amicos conquirit, dentibus ſecat, conterit, comminuit, ſalivâ que in os per vaſa Lymphatica deffluente diluit. A ſalivali illo humore omnis aciditaris non experte prima coctionis rudimenta.

III.

POST hæc coctionis præludia, cibus actione linguæ & circumpoſitorum; muſculorum; qui ſupernè deorſum comprimunt (epiglotide laryngis rimam interim occludente) impellitur in æſophagum, cujus interior membrana ori, palato, faucibus que communis (unde tanta inter partes illas conſenſio) innumeris cernitur conſperſa glandulis quarum ſingulæ vaſe excretorio donantur. Harum ſuccus coctionem in ore adumbratam non nihil promovet, ciborum que deſcenſum juvat, cibus ſalivâ dilutus partim proprio pendere, partim Impellente æſophago labitur in ventriculum cujus interior tunica multis eſt pertuſa foraminulis. Hæc totidem ſunt glandularum quibus illa conſtat vaſcula, è quibus vel ſponſe ſtillat, vel ſpirituum animalium affluxu exprimitur ſuccus acidus qui ad conficiendam chyloſim non parum confert.

IV.

VENTRICULUS cibos ſibi creditos arctè complectitur, concoquit & ad chyli formam proximè

diſponit, ope ſpirituum, ſalivæ, fermenti, continui circumſtantium viſcerum motus, ſed maximè caloris. Totum hunc apparatum ſi facultatem appellas, abuteris nomine, toto que erras cælo dum inſtrumenta cauſam principem facis. Hæc omnia quæ junctis viribus eôdem conſpirant, moventur ab interno principio, quod ab animâ fluit, facultatis que nomine jure ac meritò inſignitur. Illa vis animæ, quam facultatem χυλωποιητικὴν vocant, tot inſtrumentis ſuperius enumeratis munita, digeſtionem ab ſolvit motum largiendo ſpiritibus, quorum ope ſuccus tenuis, penetrans, actuoſus, verbo dicam acidus, alimenta diſſolvit. Hunc à liene derivari cave credas, ni enim per venam illam quam vas breve appellant in ventriculum deferri, leges circulationis ſangninis omninò evincunt; verùm per arterias effunditur & cibos etiam duriores exſoluit, ſubigit, partium que nexus & vincula diſrumpit, adeo ut ciborum principia hac fermentatione libera, & ſui juris facta novam induant formam, mutaro partium ordine, ſitu & figurâ; Novum que propterea priore deſtructo corpus generetur, quod chylus appellatur. Qui opus illud totum calori committunt, dicant quis ſit ille calor in cane, ſtruthione, lucio piſce. Chylus ventriculum non nutrit, ſed recreat, dum liquoris acidi vim nimiam obtundit.

V.

ALIMENTA igitur viſcerum, ſpirituum que motu ſubacta, calore concocta, fermento diſſoluta & à facultate ſpirituum, caloris, fermenti que moderatrice, ſuam adepta elaborationem, exeunt è ventriculo & partim actione fibrillarum ventriculi, partim repetitis ſepti tranſverſi in inſpiratione compreſſionibus, per pylorum in inteſtina protruduntur à ſucco pancreatico bile que peficien-

da, chylus enim inchoatur in ventriculo, abſolvitur in tenuioribus inteſtinis, & quid quid habet maximè fluidum ac tenue, venas meſaraicas ſubit, ut longiore in ipſis morâ magis ac magis elaboretur liquor ille colore, ſapore & conſiſtentiâ lacti haud abſimilis & proxima ſanguinis materies. Fæces verò iiſdem diaphragmatis ac inteſtinorum motibus ad rectum uſque propelluntur inteſtinum, ibique aſſervantur donec actione fibrarum inteſtini & diaphragmatis, muſculorum que abdominis conniſu, laxato ani ſphinctere foras eliminentur.

Ergo ſua Ventriculo facultas.

Domini Doctores Diſputaturi.

M. Claudius Quiquebeuf.
M. Ioannes Michaël Garbe.
M. Bertinus Simon Dieuxivoye.
M. Joannes Boudin.
M. Eraſmus Emmerez.
M. Michaël d'Hodencq.
M. Carolus Marteau.
M. Antonius le Moyne.
M Creſcentius Fagon, primarius Reginæ Francorum, dum viveret, Medicus.

Proponebat Pariſiis MICHAEL SAUVALE Ebroicus.
Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1687.

PARISIIS,
Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.